



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris Theologia Tripartita Universa

Complectens nunc Bibliothecam perfectam Viri Ecclesiastici, ordine
sequenti

Controversiae Heterodoxae Ac Scholasticae - Cum speciali Notitia rerum
Modernarum, & Chronologia totius Monarchiae Sacrae, & Saecularis,
Pontificum, Conciliorum &c. Haeresum omnium, ac Propositionum
damnatarum Mundi Sex Aetatum ...

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

P. 10. Observatio remediorum

urn:nbn:de:hbz:466:1-38447

Ecclesia, quæ istum ordinem inter partes Sacramenti necessarium, per tot sæcula in hunc usque diem inveteri permisisset, præsertim cum aliqui velint ordinem illum ad valorem Sacramenti necessario pertinere.

P. 5. *Confessionis institutio.*

Confessio precipue instituta est, ut Sacerdos injungat idoneas penitentias ac satisfactioes, quibus ante absolutionem peccati malitia deleatur.

Vide an hoc viam non sternat, ut Absolutio censeatur nudum & inane ministerium, si ante illam delenda sit peccati malitia, non verò dici debeat Absolutio sententia judicialis per se remissiva peccati. Talem sententiam absolutionem esse affirmat, nudum verò ministerium esse diserte negat Tridentinum *Sess. 14. cap. 6.*

P. 6. *Dilatio Absolutionis.*

Extra casum necessitatis, non licet Sacerdoti peccatorem absolvere, sed differenda est absolutio, nisi de illius interna conversione, sive dispositione sufficienti habeat Sacerdos judicium moraliter certum, absque omni prudenti formidine.

Adverte quo vinculo hæc doctrina constringat manus Sacerdotis, & deprehendes vix illi relinqui potestatem absolvendi, nisi in casu necessitatis: sic enim liceat argumentari. Non potest Sacerdos certior esse de conversione interna & sufficienti peccatoris, quam ipse qui confitetur: imò non nisi ex ipso penitente potest conversio ejus interna Sacerdoti constare. Atqui ipse peccator non potest plerumque ita esse moraliter certus de sua conversione interna, ut nullus prudenti formidini locus relinquatur: aliàs quoties actu percipit absolutionem, poterit certò & absque formidine illi constare de sua justificatione, quod est contra communem sensum & sententiam. Ergo vix dabitur casus quo extra necessitatem sacerdos possit peccatori absolutionem impertiri, si vera sit ferrea lex, quam dogma hoc recens tam Sacerdoti, quam penitenti imponit. Contra verò doctrina communis tradit, de interna penitentis conversione certitudinem non requiri, sed sufficere prudens judicium, sive rationi non levinnixum, etsi relinquatur etiam aliqua prudens formido de sufficienti illius dispositione.

P. 7. *Consuetudo peccandi.*

Nisi adsint signa conversionis omnino extraordinaria, & nisi absit casus necessitatis, differenda est absolutio peccatori habenti consuetudinem peccandi, qui ante absolutionem notabili tempore vitam non immutaverit, etsi cum lachrymis promittat vitare occasiones peccandi, & paratum se præbeat ut adhibeat remedia à Confessorio præscribenda.

Certum est, doctrinam hanc adversari communi praxi Ecclesiæ, prout ea colligitur ex Authoribus claficis & maxime probatis; nullam hi admittunt legem universalem differendi absolutionem peccatori laboranti consuetudine peccandi, si talem ostendat dispositionem, qualem jam descripsi. Minimè igitur tutum videtur auscultare paucorum sensui cum tanta Sacramenti, & penitentis injuria. Sacramenti quidem, quia praxis illa paulatim à Confessionis usu plurimos detereret, qui experti fuissent se cum singultu ac sinceris lachrymis absolutionis beneficium frustra implorasse. Accedit injuria penitenti irroganda, si repellatur

R. P. *Artsch.* Tom. I.

ab auxiliis quæ virtute Sacramenti conferuntur, ut consuetudini prævæ potentius resistat: & præposterè adigatur ne medicinam percipiat, nisi prius morbum curaverit. Quantum possit hæc praxis incommodi procreare Millionario, dum plura loca unus, & rarò perlustrat, satis edocet assiduus usus & experientia.

P. 8. *Timor relapsus.*

Illicitum est absolvere peccatorem, quamvis de sufficienti illius dolore Sacerdos sit moraliter certus, si adsit probabilis timor de relapsu.

Si vera esset hæc doctrina, nunquam liceret Sacerdoti absolvere peccatorem qui peccandi consuetudinem actu non deposuit, nisi forte in mortis articulo. Atqui hoc esse contra receptam in Ecclesia praxim, & consensum Doctorum, ignorare nemo potest, nisi qui in Theologorum placitis cupit esse peregrinus. Probatur autem antecedens; Quia quamdiu non est deposita consuetudo ad peccatum inclinans, potest subesse probabilis metus de relapsu in priora peccata, ac proinde si his authoribus credimus, penitentis consuetudine præviâ nondum actu deposita nunquam erit absolvendus. Quid ergo si aliquis ad plures annos cum inveterata consuetudine seriò depugnet, nondum ex integro victor? Erit etiam illi pluribus annis de absolutionis beneficio desperandum: quod dici nequit.

P. 9. *Emendatio pro tempore notabili.*

Invalida quoque est absolutio peccatoris, qui nondum exiit consuetudinem peccandi, & de quo est probabilis timor ne relabatur, sed debet absolutio differri donec peccator notabili tempore vitam emendaverit.

Ex hac doctrina sequi videtur idem incommodum quod ex superiori. Sequitur insuper invalidas esse confessiones durante consuetudine peractas, & plerumque tanquam sacrilegas necessario repetendas, nec id dissimulant istius dogmatis authores. Per hoc autem induci videtur novum præceptum à praxi fidelium, & à mente Tridentini alienum *Sess. 14. cap. 4.* ubi ad Valorem Sacramenti tantum requirit. Animi dolorem ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, nec addit, debere vitam esse emendatam notabili tempore, aut ex vi propositi certò constare penitentem non relapsurum.

P. 10. *Observatio remediorum.*

Pro irrita etiam habenda est absolutio Sacerdotis, quando penitens postea non observavit ea quæ ad remedium à Sacerdote absolvente præscripta fuere.

Supponit hæc doctrina absolutionem illam esse irritam, eo quod penitens dum absolveretur, non habuerit propositum efficax vitandi peccata de cætero. Supponit autem defuisse tale propositum, quia non est secuta observatio remediorum ad abstinendum deinceps à peccatis. Quia, inquiunt, si penitens efficaciter intendisset finem, intendisset pariter media. Atqui non est secuta observatio remediorum, sive remediorum ad vitanda peccata; Ergo defuit illi propositum efficax deinceps abstinendi à peccatis, quod requiritur ad valorem Sacramenti.

Error illius augmentationis in eo potissimum versatur, quod supponat dispositionem præsentem esse ineffi-

inefficacem & insufficientem, si non duret eadem dispositio pro tempore futuro, & non inferat applicationem mediorem. Ac si prima dispositio etiã optima, non esset mutationi obnoxia, nec possit variis modis, & illecebris debilitata paulatim deficere. Cavendum insuper est ne hac viã pedetentim accedatur ad doctrinam in Tridentino damnatam. *Sess. 6. cap. 25.* Ubi anathema intorquet, si quis dicat, eum qui labitur, & peccat, nunquam verè fuisse justificatum.

P. II. Dilatio pro quovis mortali.

Differenda est absolutio etiam curvis peccatori culpam lethalem confesso donec notabili tempore vitam emendaverit: nisi absolutionem efflagitet justa necessitas, vel adsint signa conversionis omnino extraordinaria.

Peccat hæc praxis in eo, quod requirat ante absolutionem à quovis etiam peccato graviore præmitti notabili tempore emendationem ac satisfactionem. Ac si non possit homo, gratiã Dei & libero arbitrio instructus, vel subitò, vel brevi saltem tempore ad meliorem frugem se convertere. Cùm supponendum sit peccatorem sufficientis gratiæ adjutorio non destitui.

Argumentum quod aliqui in oppositum adducunt, à similitudine Medici corporalis qui vult ægrum identidem redire, ut sciat quid medicamenta præscripta profuerint, videtur potius contra dilationem istam absolutionis militare. Nam imprudens omninò censeretur Medicus, qui v. g. Sagittam vulnus lethale inferentem non prius extraheret, quam patiens illã sagittã confixus, esset per alia remedia valetudini restitutus. Peccatum mortale esse hujusmodi sagittam docet non tantum S. Chrysostomus, sed etiam post illum ipse Catechismus Romanus cap. 5. num. 97. *Non satis est (inquit) Sagittam à corpore extrahi, sed plaga quoque à Sagitta insulsa curanda est. Sic etiam in anima post receptum peccati veniam poenitentia curanda est plaga relicta.*

Et Catechismus idem cap. 5. num. 82. *Si (inquit) auditã confessione Confessarius judicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem poenitenti omninò defuisse, absolvi poterit.* Potest autem Confessarius advertere illum dolorem, & diligentiam adfuisse immediatè ante absolutionem. De his agimus fufius infra part. III. Tract. II. quæst. 14. & 15. item Tract. IV. cap. 5. circa finem.

P. 12. Absolutio, & confessio venialium.

Cavenda quoque sunt hæc nova quorundam dogmata. *Improbanda est frequens absolutio à peccatis venialibus, qualis in Monasteriis est usitata. 2. Apud Christianos primitivos Ecclesia non erat usus confitendi venialia.*

Opponitur generatim utrique propositioni doctrina Tridentini *Sess. 14. cap. 5.* Peccata (inquit) venialia rectè, & utiliter, & citra omnem præsumptionem in confessione dicuntur, quod Piorum hominum usus demonstrat. Agnoscat Concilium illum esse usum piorum hominum, eumque esse rectum & utilem. Infero primò, Ergo rectè tam in Monasteriis, quam à piis passim hominibus praxis illa usurpatur. Et ne dicas posse quidem fideles ea peccata utiliter confiteri, non tamen absolvi, & expiari, Contrarium ibidem innuit Tridentinum, dum subdit, eadem multis aliis modis expiari. Infero secundò, Ergo Confessio venialium apud fideles pios, ac probos fuit in usu in

primitiva Ecclesia. Hoc si neges, infero ulterius; Ergo in primitiva Ecclesia ab Apostolis edocta, peccata venialia non erant materia idonea Sacramenti poenitentiae, alias Christiani in primæva Ecclesia piæ ferventes illa confiteri non prætermisissent: esse autem venialia materiam Sacramenti, nemo ut arbitror orthodoxus inficiabitur.

Ut hæc periculosa dogmata Apostolicæ doctrinæ amatores averterentur, non parum conducet digritum intendere in fontem minimè sincerum ex quo hi perniciosi rivuli in aliorum libellos profuxerunt. Delibo pauca ex Litteris Abbatis Sancyrani part. 1. lec. 32. Confessio (inquit) peccatorum venialium non fuit in usu ordinario per Ecclesiam nisi valdè serò ad expiationem ipsorum: quia spatio mille annorum & amplius iusti, qui ea committebant, satis habebant plurimum eligere suã sponte quãsdam poenitentiã leves, priusquam assisterent Sancto Missæ Sacrificio.

Hic ille est Sancyranus proprio nomine Joannes Vergerius, qui inter alia novæ doctrinæ capita, statuit æqualitatem omnimodam inter S. Petrum & S. Paulum absque subordinatione in potestate suprema, & regimine universalis Ecclesiæ. Hanc autem doctrinam, nec non quoslibet libros illam continentes, ab Innocentio X. constat esse autoritate Apostolicâ profligatam, & omni censurâ dignissimam.

Exemplar Diplomatis Urbani VIII. Anno 1641. Confirmantis Constitutiones Pii V. & Gregorii XIII. contra Propositiones vulgò Bajanas ab iisdem prohibitas &c. Item Constitutio Alexandri VII. & Prædecessoris contra Propositiones Cornelii Jansenii: Et alia huc pertinentia.

Quoniam in hoc Opere, & in aliis hoc tempore Controversiis non rarò occurrit mentio prædictorum Dogmatum, & quæstionum ex illis emergentium: hinc sæpè dubitatur, qualia sint singula dogmata, quo modo, tempore, tenore præscripta. Per commodum igitur pluribus erit, præsertim Missivatiis, si hic ipsa Pontificum Diplomata, & dogmatum seriem, ac verba integrè exhibeamus. Ut quoties de his dubium exoritur, ad primævum, & sincerum Fontem recurratur.

Urbanus Episcopus Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei Memoriam.

In Eminentis Ecclesiæ militantis Sede, meritis licet imparibus constituti, sedulò meditatur, ut quæ, ad fidei Catholicæ conservationem, à Prædecessoribus nostris providè statuta, & ordinata sunt, firmiter perpetuo observentur; & cum opus sit, nostræ auctoritatis munimine confirmantur. Dudum siquidem a fel. record. Pio Papa V. Prædecessore nostro emanavit Constitutio tenoris subsequenti, videlicet, PIIUS Episcopus Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco à Domino constituti, tam lucuoso tempore sustinemus, ille animù nostrũ præcipuè excruciat dolor, quòd Religio Christiana tantis jam pridè turbinationibus agitata, novis quo-